

octoginta quatuor annorum viua, jejuniis et obsecrationibus Deo serviebat die ac nocte, Luc. II. Ad hæc jejunia ab Ecclesia præscripta servantibus Deum adicere vitam dicebat Stanislaus Hosius; siquidem Deus dixit: *Honora patrem et matrem ut sis longævus super terram*; id quod in se expertus est. Rescius in ejus vita.

Denique, licet propterea incideres in morbos, adeoque morereris, optime tecum ageretur, et gratissimum Deo holocaustum offerres martyrio non absimile. Felix enim qui pro æterna vita dat temporalem! Et hoc est vere diligere animam suam: sicut cum febrienti frigida negamus. Ita S. Franciscus noluit acquiescere medici consilio jubentis abstinere a lacrymis, si oculos vellet conservatos: non enim tanti æstimabat lumen, quod cum muscis nobis commune est, quanti lumen illud cœleste. Et quidem S. Basilius, in ser. in vespera quadrag. ait: « Angelos per singulas Ecclesias inscribere jejunantes in catalogo militum Christi, et cur hoc nisi ut præmierent in cœlo? Quoniam igitur omnes in libro Ecclesiæ catholicæ inscripti sumus et præterea in libro vitæ inscribi cupimus, nemo nostrum sit quadragesimalis jejunii expers. Oremus cum XL. illis martyribus in frigidissimo lacu pernoctantibus: Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, coronis donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadraginta dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est. » Sic illi, qui et pro uno deficiente, substitutum alium impetrarunt. Quod si igitur et nos simul in cœlo coronari volumus Deique visionem promereri, simul nunc jejunemus, etc.

CONCIO II.

QUOMODO SIT JEJUNANDUM.

I. Jejunandum vere non fecte. — II. Jejunandum hilariter. — III. Jejunandum bona intentione. — IV. Jejunandum munda cum conscientia. — V. Addenda alia bona opera.

THEMA.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ.
Matth. VI.

Dum considero mirabiles effectus, quos partim in lege veteri, partim in nova præstitit jejunium, non possum non mirari, cur jejunia nostra nihil simile efficiant. Etenim in lege veteri Exodi XXIII.

Moyses post jejunium recipit legem et familiariter cum Deo conversatur: Saul cum exercitu jejunium fovens et observans, insignem victoriam obtinet, facta maxima Philistinorum strage, I. Reg. XIV. Judith post jejunium occidit Holofernem: Daniel post jejunium concludit orationem, ne ipsi in lacu nocere possint: tres pueri post jejunium canunt et ambulant in fornace sine læsione, Dan. III. Ninivæ per jejunium revocant Dei decretum et placant Deum iratum, Jon. III. In lege vero nova quanto præstiterint viri sancti per jejunium, ad quantum sanctitatem pervenerint, quot dæmonia expulerint, quot beneficia a Deo obtinuerint, quot miracula patrarint, quis recensere posset? Quid igitur est quod nostris temporibus nihil tale experimur præstari per jejunia? Nonne antiqua flagella super nos sentimus, et peiora succedere videmus? *Quare (ergo) jejunavimus et non aspexisti?* aiunt quidam apud Isaiam, c. LVIII. similes nobis: *Humiliavimus animas nostras et nescisti?* Sed audite responsum: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra: ecce ad lites et contentiones jejunatis, etc. numquid tale est jejunium quod elegi? etc.* Causa igitur est, quia male jejunamus: non est autem satis bona agere nisi bene etiam fiant, quemadmodum non satis hastam aut sclopetum gestare in bello; sed oportet eo recte quoque uti. Itaque Christus Dominus in hodierno evangelio, ut ne frustra jejunemus, modum jejunandi docet, et ut S. Maximus, in hom. de jejunio ait: *Dominus sacramentum dedit perfectamque regulam jejunandi.* Quam regulam hodie in capite jejunii nobis Ecclesia proponit. Quemadmodum et novitio seu tyroni, primo statim die quo religionem intrat, regula proponitur. Audiamus igitur discipuli magistrum nostrum.

I. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ.* Ecce prima regula, jejunandum scilicet esse vere non fecte; nam hypocrita, Græce histrio, is est qui aliud est et aliud apparet. *Unde quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est,* ait S. Augustinus, de serm. Dom. Verum autem jejunium est primo, abstinere a carne; secundo, unica refectio contentum esse; tertio, serius eam sumere; ideo vespere leguntur ante prandium. Errant igitur primo, qui jejunare se existimant modo carnibus abstinere; interim bis vel sæpius in die comedunt. Sed nequaquam Ecclesiæ præcepto satisfiunt per hoc jejunium, quod non jejunium sed abstinentia tantum est. Jejunium fieri cum abstinentia carnis et unica refectio in die debet. Nec valet quod dicunt: Si enim bis male comedunt, cur non semel melius? Et quis ei facultatem dedit, præceptum Ecclesiæ mutandi?

Sane ob hanc causam non placuerunt jejunia illorum, de quibus Isa. LVIII. *Quia in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra,* ait Dominus.

Excipiuntur tamen tria hominum genera. In primo, sunt impotentes ut pueri, qui vigesimum primum annum nondum compleverunt: senes item sexagenario majores, quamquam et hi conari debent et facere quantum possunt, quia Ninivæ etiam lactantes et puerperas jejunare præceperunt; tertio, feminae gravidae et lactantes; quarto, pauperes et mendici, si non habeant tantum, quantum pro una refectioe eis sufficit; quinto, infirmi et valetudinarii. Secundum est eorum qui jejunando impedirentur a meliori opere, ut confessarii, concionatores, etc. Tertium eorum, qui duro labore occupantur, ut agricolæ, fabriferrarii, lignarii, ferrarii, murarii, cerevisarii, itinerantes, etc. Quibus tamen suadendum ut faciant quod possunt, saltem diebus sanctioribus ut in hebdomada sancta; reliquum si possunt eleemosynis compensent. Item ut proprio sensui non nimium fidant, sed cum medici et parochi sui approbatione id agant. Nuper in festo purificationis audivimus, præceptum fuisse a Deo ut mulier purificanda agnellum offerret: si non haberet agnum, offerret duas columbas. Qua lege indicavit Deus, etiam impotentes debere aliquid saltem facere et quantum possunt legem implere. Unde qui nequit per totam hebdomadam jejunare, jejunet ter, bis vel semel: qui primis quadragesimæ hebdomadibus abstinere a carne non valet, ultima saltem et sacra illa abstineat. Cæterum in hoc nemo facile sui ipsius judex sit, sed interroget suum quisque confessarium. Ita præcipitur Levit. XXVII. ut qui a voti solutione redimere se voluerit, det pro viribus, juvenis plus quam senex; vir plus quam mulier. Denique: *Si pauper fuerit et æstimationem reddere non valebit stabit coram sacerdote, et quantum ille æstimaverit et viderit eum posse reddere, tantum dabit.* Ergo et a pauperibus aliquid saltem exigebatur: et quidem ex arbitrio sacerdotis. Item quoque faciendum in proposito.

Secundo, qui in prandio vel die præcedente tam multum cibi sumunt ut postea non esuriant facile, quique timent ne vacuum in eorum stomacho detur. Quomodo quidam rusticus suo confessario dicebat se per annum nunquam jejunasse, nisi hoc cinerum die, eo quod in bacchanalibus tantum comederit, ut hodie non esuriret. Et isti receperunt mercedem suam; quia jejunii fine destituuntur et Ecclesiæ mentem non attingunt, quæ ideo præcipit jejunium ut caro mortificetur et quantum in homine est, aliquid famis sentiat. Perinde igitur agunt, ac si æger

cui medicus vinum prohibuit, malvaticum bibat. Vel si judex reo duarum mulctarum unam remittat, sed alteram rigore compenset et duplicet. Et quid laudis vel meriti, jejunare cum non esuris? Certe etiam leo ac lupus jejunare diebus aliquot dicuntur post ingluviem.

Tertio, qui vesperi pro collatione tantum sumunt, ut noctu non frigeant et mane non esuriant: quod si recte computetur fere cœnæ æquiparatur, et pro refectioe alicui pauperi sufficit. Nemo seipsum fallat: hoc non est jejunare. Nam ut Isid. ait: *Spernitur jejunium, quod in vespere deliciis compensatur.* Nec abutendum est Ecclesiæ indulgentia, quæ ob impatientiam et teneritudinem nostram aliquid permisit, non primis, sed posterioribus primum temporibus, refrigerante nimirum charitate: ne alioqui audiamus quod Judæi a Christo: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudiæ, ab initio autem non erat sic.* Quo enim major indulgentia, eo gravior est transgressio. Unde Proverb. XXV. dicitur: *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas istud.* Mel extremo digito gustandum; nam copiose sumptum nocet ob nimium calorem, etc. sic indulgentia Ecclesiæ non abutendum, ne gravius puniamur: quemadmodum Israelitæ, Num. XI. ob quorum impatientiam et cupiditatem concessit eis Dominus coturnices, sed quia illis abusi sunt nimia aviditate eas devorando, ut arbitratur card. Bellar. in Psalm. LXXVII. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* Receperunt et hi mercedem suam.

II. *Nolite fieri tristes,* ait Dominus. Hilariter enim jejunandum et animo prompto ac lubenti: quod etiam sequentia verba indicant: *Cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, id est, ut Basil. exponit, exhibe signa lætitiæ, noli tristari ob alimonie subtractionem, sed gaude ob animæ curationem, ne plurius ventrem quam animam facere videaris.* Ratio prima, quia hilarem datorem diligit Deus, II. Cor. IX. Donum contra illubenter datum, displicet accipienti. Ergo displicet jejunium eorum, qui inviti et coacti jejunant, quia scilicet dominis suis accommodare se debent, vel quia nihil vesperi apponitur, vel qui ob jejunii frequentiam vel asperitatem murmurant: hi enim omnes *receperunt mercedem suam,* id est, nullam recipient, quia nullam merentur. Deuteron. XX. præcepit Deus ut e bello dimitterentur ad propria illi qui ob certos affectus erga res suas inviti bellarent, ut qui ædificavit domum novam et nondum dedicavit: qui plantavit sibi vineam et nondum ex ea comedit fructum: qui despondit sibi uxorem et nondum duxit: *Revertatur in de-*

nam suam, inquit : quia prævidit hos ægre et invitos bellaturos. Interim insinuans non placere sibi in christiana militia, qui inviti et coacti militant et suas sequuntur concupiscentias. Hi enim martyres sunt diaboli, et mavult Deus carere his militibus quam habere querulos et semper respicientes ad suas cupiditates. Sic enim Isa. LVIII. dicit : *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester; litium videlicet, contentionum et murmuris. Similes hi sunt Simoni Cyrenensi, qui non nisi angariatus est proinde sine mercede crucem Domini tulit.*

Secundo, quia qui cum tristitia et impatientia jejunat, duplicat sibi onus addendo super jejunii laborem etiam tedium et tristitiam. Et de hoc dici potest id Prov. XX. *Abominabile est apud Deum pondus et pondus, id est, pondus mortificationis assumptæ, et pondus tædii, tristitiæ vel impatientiæ suppositum.* Contra qui hilariter id agit, leve sibi facileque jejunium reddit. Unde Ambrosius de officio ait : *Jejunii labor compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, fallitur negotio.*

III. Cum jejunas unge caput tuum : habeto bonam intentionem. Mystico enim sensu caput nostrum unguimus, cum Christo, qui caput est nostrum, per jejunium placere cupimus. Finis jejunii nostri ultimus, Dei gloria esse debet : intermedii fines sunt plures, ad remissionem peccatorum obtinendam, ad obicem futuris peccatis ponendum, ad carnem spiritui subjiciendam, ad poenarum mitigationem, ad gratiæ augmentum et alia auxilia impetranda, ut proximum edificemus, pauperes inde alamus, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciamus, etc. S. Chrysost. sermon. I. de jejun. ait : *Jejuna quia peccasti, jejuna ne pecces, jejuna ut accipias, jejuna ut accepta custodias.* Errant igitur hypocritæ, qui ob vanam gloriam : avari qui ob parcitatem : gulosi qui ob ingluviem speratam jejunant; hi omnes enim receperunt mercedem suam. Nam hypocritæ, quod carni suæ detrahunt, id mundo donant, et quemadmodum histrio aliquis vel scurra qui tota die saltat, cantat, discurrit, ridet ut spectantium oculis placeat; nocte vero sequente totus fatigatus et viribus exhaustus recumbit : ita et hypocrita qui ob vanam gloriam jejunat : macerat enim se inedia ut hominibus videatur sobrius et sanctus, sicque immolat carnem suam mundo : morte vero adventante videbit se frustra laborasse, et recepisse suam mercedem. Ita stulti prophetæ Baal, lanceolis se vulnerabant et sanguinem eliciebant, inani afflictione, ut placerent deo suo : quos merito ridet Elias, III. Reg. XVIII. Avari qui in gratiam marsupii sui jejunant, non

minori stultitia laborant, quia de propria pelle nummos eudunt; seu holum ori suo detrahunt et in os diaboli injiciunt, id est, in bursam; atque ita immolant carnem suam mammonæ et diabolo : receperunt itaque mercedem suam. Mirum vero quod his jejunare libeat ob modicam pecuniolam : pigeat vero ob mercedem æternam.

Gulosi in gratiam ventris sui velut dei sui jejunant, et sic immolant carnem suam ventri seu propriæ carni. Ideo cum advertunt instare aliquod dei sui festum tunc dedicant ei jejunium in vigilia, ut postea cupidius vorent. Facit hoc ut vultur de quo Epiph. in physiol. ait : « Vultur cunctis avibus voracior est, quadraginta enim diebus cibo abstinet, quem cum invenit totidem sese ex illo liberius ingurgitat. Itaque quadragenariam abstinentiam quadragenaria ingluvie compensat. Tu igitur (subdit mox) spiritualis homo, qui in quadragesimali jejunio dominicam resurrectionem expectas, noli ventri fœde indulgere, ne quadragesimalis abstinentiæ meritum perdas. » Hæc ille. Jejunant hoc modo etiam Turcæ qui jejunia sua diurna, nocturnis compensant comessionibus. *Receperunt et isti mercedem suam, quia eam sibi ipsis solvunt per subsequentem ingluviem.* Qui omnes denique non unguunt caput suum, Christum, sed seipsos, Judæa similes, qui irasebatur quod Magdalena effudisset unguentum super caput Christi, malisset enim ut sibi applicaretur. Contra hos Isa. eod. illo LVIII. c. ait : *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra et omnes debitores vestros repetitis; repetunt enim mercedem sui jejunii a mundo, mammona et carne.* Et Zacharias, c. VII. *Cum jejunaretis et lugeretis, numquid jejunium jejunastis mihi?*

IV. *Faciem tuam lava*, id est, conscientiam a peccatis emunda per contritionem, et mundatam conserva. *Facies enim interna animæ est conscientia*, ait S. Bern. serm. I. in c. jejun. Qui coram viro magnate apparere vult, faciei maculas abluit. Et qui gratum aliquod ferculum alicui vult apponere, non debet accipere patinam sordidam. Hoc est quod adeo precatur apostolus ad Rom. XII. *Obsecro vos per misericordiam Dei ut carhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, etc.* Qui autem in peccato est, non exhibet corpus suum, hostiam viventem sed mortuam, cadaver offert, et jejunium suum in patina apponit immunda. Idcirco mundanda conscientie patina lixivio contritionis quod est aqua per cinerem distillata, ideoque cinis hodie nobis inspergitur ut ad contritionem moveamur et jejunium sanctificemus. Et hoc est magnum illud

et universale jejunium, quod vocat S. Aug. tract. XVII. in Joan. scilicet abstinere ab iniquitatibus : « Quid prodest, (ait idem Augustinus) vacuare corpus ab esei et animam repleti peccatis? Quid prodest pallidum esse jejuniis, si odio et invidia liveseis? Quid prodest vinum non bibere et iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest abstinere carnibus ad manducandum creatis, et malignis obtrectationibus membra fratrum lacerare? Quid prodest si abstineamus ab his quæ aliquando licent, et faciamus illa quæ nunquam licent? Ergo sie jejunemus a cibis, ut multo magis jejunemus a vitis. » Hæc ille. Item S. Bern. ser. III. in quadr. seu de jejun. ait : « Si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, et sufficit : si vero peccaverunt et membra cætera, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam, jejunet auris, lingua et manus et anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia ut bene humiliatus coerceatur in penitentiâ, qui male liber vagabatur in culpa : jejunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcumque otiosa sunt et ad salutem minime pertinentia : jejunet lingua a detrectatione, et murmuratione, ab inutilibus, vanis et scurrilibus verbis, interdum quoque ob gravitatem silentii, et ab ipsis quæ videri poterant necessaria : jejunet manus ab otiosis signis et ab operibus omnibus quæ non sunt imperata. Sed multo magis anima ipsa jejunet a vitis et propria voluntate sua. Etenim sine jejuniis hoc cætera a Domino reprobantur. » Isaia LVIII. Hæc ille. Illic enim dicitur : *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi : dissolve colligationes impietatis, etc. sine hoc jejuniis parum valet illud, sicut frustra adhibetur remedium vulneri, si gladius adhuc in vulnere hæreat. Et frustra sumitur purgatio, si interim noxiis rebus stomachum replere non desinas.* Unde S. Leo pontif. serm. IV. de quadrag. ait : *Non enim fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.* Et Ecclesia in hymno canit : *Sic corpus extra conteri dona per abstinentiam, jejunet ut mens sobria a labe prorsus criminum.* Quibus accedat S. Max. serm. de nativ. *Quale illud est, inquit, quod non vesceris carnibus et de ore tuo omni esca sordidius egreditur mendacium?* Et Isid. *Qui abstinent a cibis et prave agunt, inquit, demones imitantur, quibus esca non est, sed semper adest nequitia.* S. Basilius, serm. I. de laud. jejun. ait : « Non in abstinentia solum ciborum, jejunii bonum circumscribas; verum etiam jejunium est, malorum alienatio, etc. Carnem non comedis, sed comedis fratrem : abstines vino, sed ab injuriis tibi non temperas : vesperam expectas ad sumendum cibum, sed insu-

mis diem causis forensibus. Quid juvat jejunare corpore, anima vero innumeris malis repleti? » Hæc ille. *Receperunt igitur et isti mercedem suam.* Quod ne nobis eveniat, incipiamus hodie lavare conscientie nostræ faciem, saltem per actum contritionis (dum cinerem suscepimus) et propositum confessionis brevi faciendæ, ne labor jejunii nostri frustraneus sit. Nam si tunc primum penitentiam agere volumus, cum finit quadragesima : perinde agimus, ac si tunc primum vas purgare velimus, cum non est amplius liquor, qui infundatur.

V. *Thesaurizate vobis thesauros in celo*, q. d. addite jejuniis bona opera præsertim misericordiæ, ut fortius sit. Hoc etiam indicatur Isa. LVIII. cum inter alia dicitur, quod sit verum jejunium : *Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, etc.* S. Greg. in hom. ait : « Jejunium Deus approbat, ut hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparatur. »

Certe qui jejunat, et nihil de hoc pauperibus tribuit, in suam bursam jejunat; quia quod ventri detrahit in bursa accipit. Quemadmodum si mulier abstineat a mulgenda vacca sua, parum perdit : quia inde vacca pinguior redditur, et ita mulier accipit in pretio vaccæ, quod demit sibi in lacte. Ergo ne videamur jejunare bursæ nostræ et ne jejunium sit occasio avaritiæ, jejunemus pauperi, demus lac et escas, quas subtrahimus nobis, vel pecunias æquivalentes, pauperibus : non reservemus loculis, ne etiam sic audiamus : *Recepistis mercedem vestram.* Audiamus S. Greg. in pastorali : *Non Deo sed sibi jejunat, qui quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.* Audiamus Hieronymum : *Sit jejunium non marsupii lucrum, sed satietas animarum.*

CONCIO III.

VANA GLORIA EXPLODITUR.

I. Inanis gloria est exilis. — II. Externa tantum est. — III. Infida et fucata. — IV. Instabilis et fallax. — V. Brevis et momentanea. — VI. Manca et impura. — VII. Magno constans. — VIII. Mendax et erronea. — IX. Iniqua in Deum. — X. Noxia. — XI. Remedia vanæ gloriæ.

THEMA.

Faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans. Matth. VI.

Quid sibi vult, auditores, quod adeo solerter

vitari hominum oculos jubet Dominus in hodierno evangelio, cum vel jejunamus, vel (ut paulo supra dixit) oramus, vel damus eleemosynam? Quid veneni residet in oculis humanis? S. Bern. ser. XIV. in Ps. *Qui habitat*, causam nobis exponit, dum asserit hominum oculos, qui contemplantur virtutes nostras, basilisci oculos esse, qui: « Solo visu, ait, hominem inficere et interficere perhibetur. Videte ne (inquit Dominus) justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis. Ac si dicat: Cavete oculos basilisci. Sed (pergit idem s. pater) cui nocere dicitur basiliscus? Ei qui non viderit basiliscum. Alioquin si prior eum videas, jam non tibi nocet, (ut aiunt) magis moritur ipse. Ita est fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos et negligentes, qui se ei ostendunt, qui se exponunt, et non potius ipsi aspiciunt, non attendunt, non discutunt, illam non vident denique quam sit frivola, quam sit caduca, quam vana, quam inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis, et occidit ei quodammodo versa in pulverem, imo redacta in nihilum. » Hæc Bern. Quando igitur vana gloria tam perniciosum animal est, demus operam, auditores, ut prius videamus hunc basiliscum, quam ab ipso videamur. Videamus vanam gloriam, quam exilis, inanis, infida, instabilis, brevis, manca, cara, mendax, iniqua, noxia sit.

I. Parva et exilis est, præsertim respectu gloriæ cælestis. Quemadmodum enim terra comparatione cæli punctum tantum est, ita homines respectu cælitum, culices sunt, et proinde gloria quam ab hominibus captant, quasi echo quædam est, nugæ et crepundia. Ridemus puerum si c plumulam galero impositam sibi vehementer placeat, tametsi cum alii pueri propterea mirantur et suspiciunt; multo magis ridet nos Deus, angeli et beati omnes, si ob scientiæ, nobilitatis vel pietatis donum aliquod immodice nos effera-mus gloriamque apud æquales, hoc est, pueri apud pueros quæramus. Audiamus S. Chrysostomum, hom. II. ad Titum: *Nemo, inquit, ab infantibus lactantibus unquam gloriam expetivit. Infantium instar ad gloriam captandam, homines habendi sunt. Idem Chrysost. hom. XXVIII. in Joan. ait: « Nemo satellitum in hujus sæculi regniis, iis omissis, quibus coronato regi et in solio sedenti placet, graculorum voces, muscarum et culicum obvolantium stridorem prosequitur. Neque enim iis ulla ex parte potiores hominum laudes inveniuntur. » Exilis et obscura vox est, quam refert reperussa a concavis vallium sinibus echo: talis est vana gloria, quæ ab inani-*

bus et depressis hominibus resultat in ambitiosum; obscura, inquam, et exigua nec hilo æstimanda. Illa potius vox votis omnibus exoptanda est, qua Deus ipse commendabit aliquando servos suos.

II. Externa tantum et inanis est, aures non cor implens. Sicut enim umbra corporis quocumque tandem colore corpus imbutum sit, semper nigra est, imo nihil quod subsistat: sic et hujus sæculi gloria sive nascatur ex virtute, sive ex scientia, sive ex potentia, inanis est, in sola opinione consistens sive honorantis sive honorati. Unde S. Chrysost. hom. XLIII. ad pop. ait: « Nonne vides personas, quas in scena versantes induuntur, quam sint pulchræ et splendide? Potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? Nequaquam. Numquid unquam earum amore captus es? Non. Quare? Quia vacua sunt et imitantur pulchritudinem, pulchræ tamen non sunt. Similiter et gloria inanis est, et gloriam quidem imitatur, non tamen est gloria. Dic enim mihi, quid habet boni a multis circumspici? Sicut enim larva occultat vilitatem hominis usque ad vesperam, dimisso autem theatro, unusquisque apparet, quod est: ita si post multas tuas laudes auditas domum revertare et solus sis, omnis gloria defluxit. In forum processisti, præsentem in te convertisti? Quid amplius? Nihil: extinctum est et evanuit tamquam fumus diffusus. Quantæ sunt hæc quæso stoliditatis, quantæ dementiæ? Ad unum itaque spectamus, quomodo Deus non laudet. » Bene in ambitiosus quadrat quod Osee VIII. dicitur: *Ventum seminabunt et turbinem metent. Ventum enim seminant, qui bona opera studio inanis gloriæ faciunt; et quid aliquando metent nisi vanitatem, imo turbinem indignationis Domini, qui dicet illis: Recepistis mercedem vestram? Inventus est olim quidam Thurinus Vetronius, qui principis benevolentiam simulato commendationis beneficio vendere solitus erat, ideoque a Severo imperatore fumo perire jussus est, quod fumum vendidisset, Spartian. Lamprid. Similem mercedem accipient a Deo vanæ gloriæ captatores: fumum enim metent, qui fumum seminarunt. Sola Dei gloria interna est et solida, replens satiansque animam.*

III. Infida est et fucata. Sæpe qui in faciem te laudant, ut tibi adulentur, a tergo te irrident. Zeuxis pictor uvæ tam ad vivum depinxisse fertur, ut ad eas rapiendas aves advolarent, quod scribit Plinius, l. XXXV. c. X. Hunc in modum opera tua, opes, scientiam, potentiam, honorem, famam tuam tam speciose fucat et depingit tibi mundus, ut jures ita esse quæ ipse in te prædicat. At quemadmodum aves illæ uvæ advolantes

non modo non repererunt uvæ, quibus famem satiarent, sed etiam impegerunt in tabulam et delusæ conciderunt; ita inanes honorum aucupes, splendoris sui fuco plerumque decipiuntur, et dum se ab aliis magnifici aestimant, eorumdem ludibrio se exponunt, et sine honore decidunt, juxta id Sap. IV. *Erunt post hæc decidentes, sine honore, etc.*

IV. Instabilis et fallax. Qui hodie te laudant, cras forte vituperabunt; qui hodie tibi applaudunt, cras te subsannabunt. Hinc Isaia XL. gloria hominis *flos agri* appellatur: *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri. Quid autem flore fragilius? Frigore arescit, calore marcescit, vento rapitur et frangitur, pedibus conculcatur, a brutis comeditur, manibus dum tractatur contabescit: ita gloria hominum levissima de causa perditur qui ab instabili vulgo petitur. Luna est, quæ quia non proprium, sed a sole mutuatum lumen habet, varium et inconstans habet. Patuit in Aman, qui una die ab Assuero fuit exaltatus super omnes aulæ principes: sequente ab eodem suspensus in altissimo patibulo, Esth. VII. Patuit in Moyse, quem tanti aliquando aestimarunt Israelitæ ut sine illo se esse non posse clamarent: paulo tamen post lapidibus obruendum judicarent, Num. XIV. Patuit in S. Paulo, quem admirati Lycaones clamabant: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos, voluerunt quoque ei velut Deo immolare: mox aliquorum persuasione immutati eundem lapidarunt, Act. XIV. Patuit in eodem Paulo, Act. XXVIII. quem videntes Melitenses a vipera impetum, judicarent homicidam esse: postea cum viperam ab eodem sine noxa elisam cernerent: *Convertentes se, dicebant eum esse Deum. Ut enim clepsydra horaria singulis horis invertitur, et pars ejus vacua repletur, repleta evacuat, infra fit supra: ita etiam vulgus ejusque opinio in dies mutatur.***

V. Brevis et momentanea est. Laudant te morituri, quibuscum morientibus morietur et laus tua, ne comitabitur te ad alterum sæculum. Unde Isa. X. dicitur: *Ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? q. d. cum gloria vestra non sit descensura vobiscum ad inferos, ubi eam relinquetis? Quid vobis proderit in illa die, ne in vincula abducamini et pereatis? Venti globo similis est ea gloria: quemadmodum enim turbo convolvit pulveris globum, stramina vel sarmenta et gylando in altum evehit, mox tamen ibidem dissipat et relabi in terram sinit; ita gloria inanis repente evehit hominem, sed repente etiam deserit: simili figura idem expressit Sophar, apud Job, c. XX. dum gaudium hypocritæ (qui gloriam ab*

hominibus quærit) ita describit: *Velut somnium avolans non invenietur, transibit sicut visio nocturna. In quæ verba S. Greg. l. XV. moral. c. III. scribit: « Recte somnio comparatur, quia ab hypocrita, omnis laus et gloria quasi dum tenetur amittitur. Sæpe namque in nocturna visione nonnulli pauperes, factos se divites admirantur, deferri sibi honores aspiciunt divitiarum moles, obsequentium multitudinem, pulchritudinem vestium, abundantiam ciborum sibi met adesse considerant, gaudent, se evasisse penuriam, quam cum gemitu tolerabant, sed repente cum evigilant, inveniunt quam falsum fuerit, quod gaudebant: eosdemque evigilasse pœnitent quia vigilantes inopia vera terret: sic hypocritarum mentes, dum aliud est quod agunt atque aliud quod hominibus ostentant, laudes de ipsa sanctitatis ostentatione recipiunt: in æstimatione hominum multis melioribus præferuntur; sed cum ab hominibus immoderate laudantur, occulta vocationis hora surrepit, et cum carnis oculos claudunt, mentis aperiunt, moxque ut supplicia æterna receperint, ibi vident, qua virtutum æstimatione divites in somniis fuerant. »*

VI. Manca et impura. Quod enim ab his laudatur, ab illis vituperatur, cum tot homines sunt, quot sententiæ. Patuit vel in ipso Christo Domino, de quo alii dicebant: *Quia bonus est, alii dicebant: Non, sed seducit turbas: et murmur multum erat in turba de eo, Joan. VII. Patuit in Herode Agrippa, Herodis primi nepote, qui Romæ a Tiberio imp. vincitur catena ferrea. Mortuo Tiberio donatur a successore ejus Caio aurea catena tanti ponderis, quantierat prior ferrea, et constituitur rex tetrarchiæ Philippi, qui paulo ante obierat. Dum vero Roma discedens pergit ad regnum suum, in via illuditur publico spectaculo ab Alexandrinis eo prorsus modo, quo Christus spinis redimitus illusus olim fuerat a militibus. Idem ad extremum concionem habens ad populum, audit ab eodem adulatorie: *Dei voces et non hominis. Quas dum is non repulit nec castigavit, vidit mox supra caput suum bubonem funi extento insidentem, portententem ei exitium, quo eadem hora ab angelo percussus brevique extinctus est. Postea in defunctum convitia jactarunt Cæsarienses et Sabasteni, ne non statuis filiarum ejus e palatio in lupanar extractis foedissime illuserunt. Refert Philo et Josephus, l. XIX. antiqu. cap. ut Baron. anno 46. Quis igitur tam variam et mutilam hominum existimationem curet, quæ dum hic te ornat, alibi collutulat?**

VII. Cara et magno constans est. Quid enim non faciunt homines, ut vanam gloriam captent? *Exterminant, ait Dominus in hodierno evangelio,*